



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.I.], 1711

CXV. Ionathæ & Simonis Machabæorum, Iudæ fratum, Judææ Ducum ac
Pontificum acta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

(589)

NARRATIO CXV.

JONATHÆ ET SIMONIS MACHABÆORUM,

JUDÆ FRATRUM JUDÆÆ DU-
CUM AC PONTIFICUM ACTA.

Ab anno Mundi 3910. ante Christum 143. ad an-
num Mundi 3919. ante Christum 134.

Periculosa sunt odia, quæ amicitiâ vestiuntur ;
nocent enim gravius, dum minus timentur.
Meretur nomen & virtus Machabæorum , ut
paucis delibemus potius , quam enarremus , quibus
fatis *Ionathas* & *Simon*, vitæ ac gloriæ suæ spatiū de-
currerint, quosque in Principatu tam sacro , quam
profano habuerint successores.

Postquam *Iudas* & *Eleazarus* fortiter faciendo oc-
cubuerant in pœlio eorumque frater germanus
Ioannes, cognomento *Gaddæus*, à Iambræis (Mada-
bam, urbem trans Iordanem incolentibus) in iti-
nere ad Nabathæos Arabes, per insidias exceptus,
& imperfectus fuerat ; *Ionathas* cum Simone rem
Iudaicam domi, forisque sustentavit. Illum qui-
dem Ducis cuiusdam militaris Syri, *Tryphonis* nomine:
hunc duobus cum filiis *Ptolomei* generi , perfidia e-
vertit. Tryphon igitur cum per omnes militiæ
gradus & ordines, rerum gestarum commendatione
proiectus ; novissime pro Tute se ferret Antio-
chi *Balæda* (filius hic erat *Alexandri*, subsefforis reg-
ni Syriæ, quem Epiphanes Antiochus è pellice, cui
Bala nomen, suscepit ; unde Alexander *Balaus* cog-
nomi-

nominatus, & hujus filius Balæides) & rege Demetrio
 (qui *Nicanor* dictus est, Demetrio sibi genitus) ex Sy-
 ria pulsō, constituisset regnum Syriacum facere su-
 um; puerum autem *Antiochum* malitiæ suæ ve-
 lam habere; quoad nactus opportunitatem, hoc
 imperfecto, supremam potentiam ipse nullo reguli
 vindice, corriperet: decrevit *Ionatham* (cujus ami-
 citiā & armis *Syri* tum stabant) consilij sui unicum
 obicem è medio tollere. Quod cùm aperta vi effi-
 re non posset, ad fraudes confūgit. Invitat *Ionat-*
tham è castris (in quibus quadraginta tum millia
 militum numerabat) in sua castra excipit per huma-
 niter, amicum appellat, muneribus donat; per-
 suadet inter epulas, ut multitudine utrinque dimissa,
 simul Ptolemaidē (urbem *Ægypti* celeberrimam) abi-
 rent; & cum paucioribus circum se dignitatis potius
 quam tutelæ salutisque causā retentis, in ré præsen-
 tem venirent: urbē se, finitimāsque munitiōes *Ionat-*
thæ præfecturæ, custodiæque permisurū. Ille, Deo nō
 consulto copiarū suarū triginta septē millia remittit
Ierosolymam; non nisi tribus millibus præsidij cau-
 sā retentis; paullò post ex ijsdem duo millia (for-
 tè ostentandæ fiduciæ quoque gratiā) mittit in *Ga-*
lilæam; ut adeo mille jam solos, satellitum ve-
 riūs, quam armatorum præsidium, circum se habe-
 ret. Itur inter hæc Ptolemaidem. Ibi dum *Dux*
 & *Pontifex* *Hebræus* promissarum fidem, & hono-
 res novos exspectat, obseratis portis obtruncantur
 milites; ipsi compedes injiciuntur, & catenæ.

Quibus rebus *Ierosolymæ* intellectis, populi fu-
 fragijs in *Ionathæ* locum *Simon* sufficitur; primas is in-
 ter curas habuit, contrahere, quidquid militarum

in Iudæa copiarum erat; dein affectas jam urbis ~~ad~~ificationes, iac potissimum murorum turriumque cæptas à Ionatha munitiones ad fastigium perducere prius, quām Ierosolymam *Tryphon* incurseret. Qui, ne cunctatione spes suas corrumperet: aut in columni Simone, paria consilijs suis impedimenta metuere cogeretur, qualiaque, florentibus adhuc Ionathæ fortunis, formidasset, exercitu Ptolemaido moto, Ionatham secum vindictum trahens, tendit in Iudæam, ut & Simonis potiatur. Cujus hic adventu cognito, prior ei, suis omnibus eductis copijs, occurrat. Tryphon more suo ad fallaciam conversus, mittit, qui Simoni, tanquam auctoritate regia Legati denuntient, non bellum id esse, sed æris dunata alieni quod regijs in tabulis, negotiorum suorum causâ contractum, adhuc inexpunctum Ionathas haberet, exactiōem; ideoque in nexu esse Ionatham, quo ad obligatam ejus fidem repræsentatum argentum, & idonei præterea vades, quibus Ionathæ societas Antiocho regi, posterum etiam in tempus adstringeretur, exsolverent. Mitteret igitur Simon argenti talenta centum, debiti nomine; duosque præterea Ionathæ filios parvulos, paternæ simul fidelitatis obsides, ac transfigij frænum. Sic & ipsos inter se posthac concordes futuros, & Ionatham in libertate victurum.

Imposuissent Tryphonis ea tam composita, temporumque casibus congrua verba cuivis non sagissimo. Non refellerunt exercitatæ calliditatis virum, prudentiaque rerum veterana spectatum. Simonem probè perspicientem, quibusnam hæc ex artibus proficiscerentur, aut ea postulata quorsum specta-

erant : ut unā videlicet, eadēmque Tryphon opere
rā pecuniam simul & pueros ; & horum , parentis-
que vitam auferret. Quod tamen ea Legatorum
postulatio própalam esset in castris facta, passimque
jam in vulgus exisset ac populum, cui Ionathae fa-
luis erat longè charissima ; videbat Simon, si, quan-
tum Tryphon redimendo Ionathae pretium indixe-
rat , ipse pendere detrectasset, magnam se apud om-
nes, imperfecto fratre , invidiae calumniam subitu-
rum ; misit igitur , quæ postulata fuerant, centum
argenti talenta & duos Ionathae filios , sèque suspi-
cionibus absolvit , tanquam non pecuniae magis ,
quam potentiae retinens esset. At non & Iona-
tham perfidus Tryphon absolvit ; quem duobus
cum filijs immanis carnifex interfecit. Ipse quo-
que regnō Syriæ per regicidium occupatō, ab Anti-
ocho [Sidete] Rege obseßus [nam perfidia diu fe-
lix esse non potest] denique sibi manus intulit, de-
speratione adactus. *Salian. ad annum M. 3918.* Te-
rrimus bipedum ipse sibi Tryphon sumet carnifex iusta
moriens fecit, qui *jus* in vita nullum ulli reliquit ; &
sicubi reperit, id vel vi, vel fraude pessum dedit.

Simon audita Ionathae , filiorūmque morte, post-
quam eos Mōdinæ , majorum sepulchris, suo, pub-
licoque populi luctu intulit , exstructō de Pario
marmore, monimentō , pyramidibus septem visen-
dō ; à privatis rerum curis , ad publica opera con-
versus , cùm præsidijs & munitionibus ubique par-
Iudæam adversus barbarorum vim instructis atque
firmatis , patriam libertati , à tot jam annis inter-
mortuæ reddidisset , privata, publicaque ædificia in-
staurasset , arce Sionæ hostes ejecisset, complurā-
que

que Philistinorum oppida, Iudaicæ ditioni adjecis-
set; Antiochus *Sidetes* [vel Sedetes , nomine tructo
ab urbe quadam Ciliciæ , cui *sidi* appellatio , in qua
pueritiae annos exegit] Tryphonis expulsor , per
Cerdebam Legatum suum Palæstinam adortus est.
Simon , quod esset sexagenarij major , è filijs tri-
bus , quorum erant nomina , *Iudas* , *Ioannes* ac *Matha-*
thias , duobus natu grandioribus , suas in posterum
vices mandat , in hostibus populi DEI perseguendis :
exemplisque fortitudinis Majorum suorum , & im-
primis avi , quatuorque patruorum , qui bellò sa-
crò viriliter occubuerint , animatos : fiduciâ cum-
primis cœlestis opis , quæ nunquam amicos D E I
destituisset , ad fuscipiendam adversus barbaros ex-
peditionem incendit.

Valuit ea patris cohortatio tantum apud filios , ut
Joanne potissimum adnitente , numerosus in pau-
cis diebus eques , ac peditum acerrimorum viginti
millia Ierosolymam coirent. Qui cum Syros mag-
na clade profligassent , tantaque *Sidetem* animi ægri-
tudine , quanta parentem lætitiam replevissent , Rex
Syrus ad dolos confugiendum ratus , ut Simonem ,
filiosque , sub affinitatis & amicitiae blandimentis de-
ciperet , *Ptolomæum* quendam , natione Iudæum , Si-
monis generum , Ierichuntinæ ditionis præfectu-
ram , suffragatione socii obtinenter , Pontifica-
tui , civiliumque rerum imperio inhiantem , mini-
strum fraudis delegit ; à quo Simon cum filijs Iuda
& Mathathia in arcem *Docham* invitatus , in media
convivij hilaritate , incisis cervicibus , & trajectis
ferrò pectoribus , interemptus est.

P P

Non

Non contentus ea crudelitate sanguinarius par-
cida, mittit in urbem *Gazam* seu *Gazaram* ad Ioasem
Machabæum, tertium Simonis filium, qui per cau-
sam legationis ac negotiorum, prolatis repente,
nudatisque telis, incautum opprimerent. At is de
periculo, totaque re gesta commonitus, ijs, quisul
perdendi caussa venerant, & admissionis copiam fe-
cit, & ferrô suô trucidatis vivendi finem. Nec ita
multò post Antiochus Sidetes validissimo cum ex-
ercitu Ierosolymam ex omni circum quaque parte
premens, in biennium usque, fame dira clausos ac
semianimes oppidanos affligebat; quare de senten-
tia Procerum ac plebis, Ierosolyma Regi tolerabi-
les in conditiones permissa est. Ioannes pace fa-
cta; obsidibus, & quinquaginta talentis datis, Si-
detem in Parthos, cum auxiliaribus copijs comita-
tus, ob penetratam armis *Hyrkaniam*, nomen *Hyrc-
ni* adeptus, rem Iudaicam, Sidete in Perside per-
empto, multis incrementis auxit. Istamen *Sadd-
œum* se professus, spiritus, & angelos, & corporum
in fine mundi reparationem habens in delirij, bel-
licæ quidem virtutis ingentem gloriam; contami-
natæ verò religionis æternam post se infamiam re-
liquit.

Ei successit in Pontificatu filius *Aristobulus*; is Sy-
riæ regibus, *Grypo* & *Cyziceno*, communi appellati-
one *Antiochis* [priorem aliqui *Gryphum* vocant, ob
aduncam, & in gryphis morem inflexam nasfor-
mam : posterior ab urbe *Cyzico*, educationis loco,
denominatus est] inter se dimicantibus; se ipsum
interea, nemine refragante, fecit è Duce Regin:
Iudæam autem è Satrapia Regnum. Id ipsum eti-
am

parri-
oafem
er cauf-
pentè,
At is de
qui ful
piam fe-
Nec ita
um ex-
e parte
ulos ac
senten-
olerabi-
pace fa-
tis, Si-
comita-
n Hyc-
ide per-
n Sadda-
porum
js, bel-
ontami-
iam re-
; is Sy-
pellati-
ant, ob-
naifor-
is loco,
é ipsum
Regem:
sum eti-
am
am
ami *Alexander* mox fecit successor, *Hebræis Ioannes* ac *Ianneus* appellatus. Idem & cæteri deinceps *Machabæorum* nepotes ac pronepotes infelices plerique *Sadducææ* se & clæ asseclæ, ad *Herodianam* usque Domum eis subrogatam, fecerunt. *Ioan. Bæbelius* in *Ruiniſ Illust.* Dec. 3. n. 18.

NARRATIO CXVI.

MACHABÆA NÆ STIRPIS ERADICATIO. HERODIS ALIENIGENAE IN REGNUM JUDAICUM INVASIO HERO- DIANI NOMINIS PROPAGATIO, ET EXCISIO.

Ab anno M. 3951. ante Ch. 102. ad annum Mundi
4053. IESU Christi annum 1. quo anno Herodes
è vivis excessit.

Ex Flavio Josepho, de antiquitatibus Judai-
cis. Lib. 13. 14. 15. 16. 17. 19. Et de
Bello Judaico lib. 1.

Hactenus vestigia sacrorum Voluminum pref-
simus; nunc quoniam cum Machabæorum
occasu, Herodianæ familiæ fortuna misce-
tur, prosequemur ex Iosepho, Iudaico scriptore,
quæ historico sunt nexu colliganda.

Defunctō igitur, ut diximus, *Ioanne Hyrcano*,
(primo) *Aristobulus* natu filiorum maximus, Iudæi si-
bi regis nomen usurpavit; fratrēmque *Antigonus*